



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Ad nonam. Exercit. 88.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

Oblatio.

EAdem est quæ in exercitio ad matutinas.

AD NONAM.

Exercit. 88.

ASexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad Nonam. Et circa horam Nonam clamauit Iesus voce magna dicens. Heli Heli Lamazabathani, hoc est: Deus meus Deus meus, vt quid dereliquisti me.

LUC. 23. Et clamans iterum voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & dixit consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

Consideratio.

Considerabimus mysteria quæ in cruce gesta sunt & ea quæ Christus in illa dixit & passus est, vsque ad spiritus sui emissionem.

Gratiarum actio.

GRatias agemus Deo pro acerbissima morte quam nostri causa subiuit: & pro insigni illo beneficio, quod

quod nos à morte æterna inferni liberauerit, quàm sæpè peccatis nostris, quæ contra maiestatem eius admisimus promerueramus: sed ille misericorditer nos expectauit & ad pœnitentiam vocauit.

Confusio.

ERubescemus, quod peccata nostra causam præbuerint vt vitamoreretur: quod etiam sæpe illum in anima nostra occiderimus peccatum aliquod mortale committendo.

Petitio.

ROgabimus Deum, vt nobis perfectam obedientiam largatur, qua propriæ voluntati nostræ perfectè mortui, uiuat & regnet in nobis sola Dei voluntas, quandoquidem propter obedientiam mori voluit.

Oblatio.

EAdem est, quæ in exercitio ad Matutinas.

kk

AD